Q. B. V. D.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

IN QVA

CVRAM GRAVIDARVM ET PVERPERARVM

SVB PRAESIDIO

DN. CHRISTIANI VATERI

PHIL. ET MEDIC. DOCT. EJVSDEMQ. PROF. PVBL.
NEC NON CONSIL. AVL. ET ARCHIATR. ANHALT.
ITEMQ. PHYSICI PROVINC. SAXONICI,

PATRONI, PRAECEPTORIS, STVDIORVMQVE AMPLIFICATORIS
OMNI OBSERVANTIAE CVLTV DEVENERANDI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS

EXPONET

JOANNES GODOFREDVS HAENDLERVS
BISCHOFFSWERD. MISNIC.

DIE NOVEMBR. A. cIↄ Iↄ CC XXIII.

VITEMBERGAE
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
CVRA GRAVIDARVM ET PVERPERARVM.

PROOEMIVM.

AUrea verba ſunt, quae apud *Ferdinandum Euſtachium Hiſtor. Med. XIII.* leguntur, ubi ſequentia Diſcipulis ſuis dicere et inculcare ſolitus eſt: *Duo ſunt, quae in medicina anxium et ſollicitum me habent, in quibus maximis anguſtiis premor, difficultatibus ſcateo et fere titubo, cum gravidis ſcilicet et infantibus mederi debeo; ſemper enim dubia, difficilis et anxia gravidarum cura eſt, ſemperque periculum ſecum habet; Ideoque plumbeo ſemper pede ad curam earum ambulandum, ac omnia, non niſi cum ſumma praemeditatione agenda.* Si enim, quod Democritus ad Hippocratem ſcripſit, ſolus uterus ſexcentarum aerumnarum ſingularium autor eſſe poteſt; id multo magis fieri poteſt, quando fœtum gerit, ubi propter novos motus humorum et ſpirituum non ſolum in

utero, ſed etiam vicinis viſceribus, imo in toto corpore, ob ceſſationem menſtruæ purgationis, ob triplicem ſanguinis circulationem, ob augmentum continuum fœtus viventis ejusdemque calcitrationes, ob preſſuram viſcerum vicinorum et vaſorum circulantium, aliasque varias mutationes, tot quoque in functionibus matris tam vitalibus, quam animalibus, fieri neceſſe eſt; ut vel horum reſpectu gravidae omnes morbos bis quaſi patiantur, et Medicis, etiam peritiſſimis, ſemper plura diſcendi, anſam præbeant. Quae cum revera ita ſint, quilibet videt, quod cura gravidarum eo difficilior et periculoſior ſit, cum non ſolum matris, ſed etiam fœtus in ea tenerrimi ratio habenda ſit, ne, dum illi prodeſſe ſtudemus, huic noceamus et contra. Agitur hic non de unius, ſed duplicis, imo interdum triplicis hominis vita, ubi duplex et triplex homicidium committi poteſt, niſi prudens eorum cura inſtituatur. Atque haec ratio fuit, quare Ordinis Gratioſi conſenſu, loco Speciminis Inauguralis eandem majori cum induſtria diſquirere et cum eruditis communicare ſuſceperim. Faxit Autor et Amator generis humani clementiſſimus, ut etiam ex his meis conatibus utilitas quaedam et fructus in illud redundare queat.

CAP. I.

DE CVRA GRAVIDARVM.

Thes. I.

Quamprimum igitur foeminae utero geſtare incipiunt, ſcire debent, quod talis earum ſtatus longe aliam vitam, aliamque diaetam, quam ubi ſolae erant, poſtulat. Foetus enim utero incluſus partem quaſi matris conſtituit: Qualis tum matris ſanitas, qualis corporis animique ipſius conditio, talem quoque iſte participat. Mali corvi, malum ovum. Ex parenribus, aſotiae deditis, naſcuntur communiter liberi temperantiae hoſtes. Tiberii laſcivia ac ebrioſitas, et Caligulae crudelitas parentibus et nutricibus non immerito imputatur.

Gravidarum ſtatus ſpecialem Diaetam & Curam poſtulat.

Thes. II. Ob teneritatem embryonum, intimamque cum matribus ſuis connexionem et functionum communionem, vel ſola animi pathemata, imprimis graviora, illis magis, quam his noxas quamplurimas afferunt, quando phantaſia matris, quae ſimul in motu ſpirituum animalium conſiſtit, per ejusmodi animi commotiones graviores turbata, eodem turbulento motu etiam humores et ſpiritus embryonis connexos ita perturbant, et confundunt, ut juxta motum illum peregrinum ab objecto ſenſibili, ſive grato ſive ingrato, aut ſolum admirabili, matris phantaſiae impreſſum, iſtius objecti figuram et idaeam in corpuſculo embryonis, adhuc tenerrimo et flexili, et quidem in eadem ejus parte, ad quam per phantaſiam matris fortem determinatur, effingant et efforment. Teſtantur id exempla naevorum maternorum toto die ubivis obvia; Indeque ſerio monen-

Et quidem quoad animi pathemata.

dae ſunt matres, ut primis potiſſimum geſtationis menſibus ab aſpectu rerum terribilium ſibi quam maxime caveant, aut, ſi praeter opinionem et fortuito ab iſtis terreantur, eo ipſo tamen ſtatim mentem ſuám prudenter erigant, a ſpeculationibus rerum iſtarum abſtrahant, et cogitationibus ſermonibusque gratioribus animi tranquillitatem quaerant.

Quoad motiones corporis.

Thes. III. Non minus vero corporis motiones fortiores, extenſiones artuum violentae et ſubitaneae, elevationes onerum graviorum, lapſus et ſimiles evitari debent, utpote quibus foetus menſibus primis ob deficientem adhuc placentam alias nondum utero matris ſatis firmiter connexus, facillime e ſitu ſuo naturali dimovetur, indeque abortus, poſtea vero partus difficilis, haemorrhagiae uteri, aliaque mala concitantur. Quo etiam pertinent ligationes aut conſtrictiones thoracis et abdominis fortiores, quibus non ſolum debita uteri et partium vicinarum extenſio, et foetus ipſius augmentum inhibetur, non minus quoque ſitus ejus turbatur, flatus colliguntur, aliaque mala excitantur. Eo ipſo tamen nec vita nimis otioſa et ſedentaria ipſis, imprimis cacochymicis, hypochondriacis, nec plethoricis ſvadenda. Ea ipſa enim quoque digeſtiones, et ſecretiones humorum debitae inhibentur, impuritates colliguntur, quae et matri et foetui nocenr. Menſe vero geſtationis circiter octavo et nono conceduntur ipſis proinde motiones nonnihil liberiores, ut viae omnes ad partum futurum faciliorem praeparentur.

Quoad aerem et alimenta.

Thes. IV. Pariter praegnantes, imprimis teneriores, eligere debent aerem intemperatum, naturae et temperaturae ſuae aptiorem et gratiorem, evitando minus temperatum, ſive nimis calidum, ſive nimis frigidum, hu-

midum,

midum, vel ſiccum, craſſum, aut aliis malignis miaſmatibus imbutum; quippe qui, uti omnium, ita multo magis illarum ſanitati obeſt, multisque morbis occaſionem et fomitem praebet. Eaedem cautelae obſervandae ipſis ſunt in alimentis et potulentis, ne ſibi, vel embryoni noxia, nauſeabunda, fermentabilia, flatulenta, diuretica, purgantia, vel etiam nimis adſtringentia, orgaſmum humorum concitantia aſſumant. Habemus exempla earum, quae ex abuſu pingvium, ſolius butyri, abortierunt. Alvi adſtrictio aeque ac lubricitas et laxitas utrisque nocent.

Quoad balnea.

THES. V. Pertinent huc balnea tam naturalia, quam artificialia, ex infuſis et decoctis herbarum parata, quorum illa, ut thermae gravidis quocunque geſtationis tempore tuto concedi non poſſunt, quoniam ob calorem fortiorem et penetrantiorem, motus quoque humorum fortiores excitant, ſi non matri, tamen foetui noxios. Quemadmodum nec artificialia, optime licet temperata non omnibus, ſed tantum frigidioribus et ſiccioribus proſunt; et quidem ultimo potiſſimum menſe, calorem vitalem augendo, et vias ad faciliorem partum lubricando ac relaxando. Ita, quod cohabitationem conjugalem attinet, ea pro circumſtantiarum ratione non prorſus interdicitur, modo cum prudentia et moderamine fiat.

Cura Morborum gravidis familiarium.

THES. VI. Contingit tamen non raro, quod his omnibus diaetae regulis obſervatis, nihiloſecius ob cauſas alias tam internas quam externas, variis admodum affectibus corripiantur gravidae, quales ſunt: *nauſea*, *et vomitus enormes*, *diarrhaeae et cholerae*, *alvi adſtrictio*, *appetitus abſurdus*, *paſſiones colicae et hyſtericae*, *palpitationes et anxietates cordis*, *dolores capitis*, *dentium et ventris*, *item*

item tuſſes, urinae ſuppreſſiones, varices venarum, haemorrhagiae uteri aliarumque partium, eruptiones aquarum inſolitae, febres intermittentes et continuae, langvor matris et foetus, abortus periculum, aliaque plurima mala, quae pleraque, licet etiam aliis a communibus cauſis contingant, tamen ob ſtatum illarum ſingularem, et intervenientes circumſtantias ſpeciales, ſpecialem quoque curam et cautelas ſpeciales requirunt.

Nauſeae et vomitus.

Thes. VII. Ita nauſea et vomitus plerisque gravidis, imprimis cacochymicis, familiaris, et ob motum peregrinum per conceptionem excitatus, non ſemper malus, neque matri neque foetui noxius, ſed ſæpe ſalutaris et criticus eſt, quando impuritates, in primis viis dudum collectae, aut etiam de novo generatae, ſenſim reſolvuntur et ejiciuntur, et multa alia ſymptomata, alias exinde metuenda, praecaventur. Unde etiam fit, quod virgines et viduae, alias morboſae et valetudinariae, per conjugium ſaniores reddantur. Ex quo apparet, quod tales vomitus praeter rationem non cohiberi, ſed potius, ſi opus, blandis remediis reſolventibus et ſtimulantibus promoveri debeant; modo non in exceſſu, tempore et modo peccetur, id quod e circumſtantiis et ſignis, prudenter inter ſe collatis, judicandum et diſtingvendum. Etenim non in omnibus aequalis obſervatur; aliis ab initio ſtatim conceptionis, aliis vero demum poſt aliquot ſeptimanas, modo ante cibum, et jejuno ventriculo, aliis poſt cibum ſumptum, contingit: In quibusdam per totum fere geſtationis tempus durat, in aliis per intervalla, longiora, vel breviora, remittit et repetit: Primis menſibus communiter minus laboris, minusque periculi habet, quam qui diutius durat; ultimis tamen diebus etiam partum facilitare ſolet. Rurſus aliae cruditates

ditates et impuritates ſeroſas, pituitoſas, bilioſas, nidoroſas, auſteras, imo etiam ſangvinolentas ejiciunt: Rurſus aliae tantum cibum potumve, plus minus digeſtum, majori vel minori difficultate evomunt; E quibus demum omnibus perpenſis, quid agendum eligendumque ſit, quilibet prudens judicare poteſt; reſpiciendo ſimul ad habitum et texturam ſubjectorum teneriorem, vel firmiorem, conſvetudinem aliasque circumſtantias et cauſas concurrentes. Ita, ſi natura debilior ejiciendis impuritatibus non ſufficit, ea adjuvari debet digeſtivis et abſtergentibus blandis, *e cremore, et cryſtallis tartari, tartaro vitriolato, nitro depurato*, cum *abſorbentibus cinnabarinis et antiſpaſmodicis* conjunctis: item *Elixirio propr. rbabarbarato cum vino malvatico arcano tartari liquido, pilulis vitae*, et ſimilibus. Quibus deinde impuritatibus remotis, ſi nihiloſecius motus ſpaſmodici continuantur, etiam ſtomachica et nervina tam externa, quam interna, pro cujusvis matris temperatura et indole addenda, qualia ſunt: *eſſentia curminativa, arantiorum, citri, caſtorei, menthae balſamic. aqua cinamom. cydoniat. maſtichin. nuc. moſchat. embryon. balſam. nuciſtae et macis*, et ſimilia. Si propter conatus fortiores forte venae ventriculi aut pulmonum aperiuntur, et ſangvis rejectaneis miſcetur, etiam V. S. non omittenda, niſi aliquid contra indicet.

THES. VIII. Idem prorſus de diarrhaeis gravidarum quibuscunque judicandum et obſervandum, ne, ſi critice fiunt, in cacochymicis, intempeſtive ſupprimantur, quin potius blandis illis abſtergentibus et laxantibus promoveantur. Non enim quaelibet diarrhaea, ſive ſeroſa, ſive bilioſa, etiamſi moleſta, et cum torminibus aliisque ſymptomatibus complicata, praegnantibus et embryonibus nocet, modo ea evacuet, *Diarrhaeae et cholerae.*

B quae

quae evacuari debent, nec graviora mala efficiat: Ibi ſolum Medicus, tanquam naturae miniſter, eandem, ubi deficit, debitis remediis adjuvet, ubi vero excedit, corrigit et dirigit et pericula exinde timenda abarcet. Quemadmodum etiam ipſa cholera et dyſenteria maligna minus tuto, niſi ſublata prius cauſa, cohibentur. Multoties a Dn. D. Praeſide audivi, quod hi affectus in gravidis, licet diutius quodammodo duraverint, felicius, quam in aliis, curentur, modo prudens regimen et cura habeatur. Cujus ratio procul dubio eſt, quod praegnantes duplicem quaſi vitam vivant, indeque mala iſta ſuperent, modo caetera paria fuerint.

Abſtructionis alvi.

THES. IX. E contrario in aliis alvus praeter ſolitum ſupprimitur, ut vix tertio vel quarto die, vel etiam tardius, et quidem magno conatu, eam exonerare queant, ubi non ſolum multae impuritates et flatus, matri et foetui noxiae, colliguntur, ſed inter laborioſas foecum excretiones, quoque uterus inteſtinis incumbens, facile laeditur, foetus e ſitu ſuo naturali dimovetur, aut plane ad abortum redigitur. Idque ob varias admodum cauſas, non ſolum aliis communes, nempe ſangvinis et reliquorum humorum viſciditatem, auſteritatem, uti fit in hypochondriacis, melancholicis, nec non lymphae roſcidae defectum, propter potum parcum, cibos adſtringentes, vitam ſedentariam &c. ſed hic quoque in ſpecie accedit ſeri largi ad foetum nutriendum derivatio, nec non inteſtinorum, ab utero turgeſcente, compreſſio; unde ille affectus potiſſimum ultimis menſibus urgere ſolet. Quibus adeo obſervatis, cura earum ita dirigenda, ut cauſae iſtae recenſitae aliaeque prudenter removeantur. Non opus hic eſt purgantibus fortioribus, ſed ſufficiunt tantum laxativa antea commendata, aut

etiam *infuſum et decoctum tamarindorum*, *foliorum ſennae cum paſſulis*, *oleum amygdal. dulc.* et ſimilia; commendata inſuper decenti diaeta, potu largiori, et alimentis magis humectantibus, prout viſum fuerit. Neque obeſt in caſu neceſſitatis clyſterem emollientem et abſtergentem in minori quantitate applicare.

THES. X. Non raro foeminae tales cacochymicae, ob menſtruum ventriculi pravum, indeque phantaſiam depravatam, etiam pica et malacia corripiuntur, ubi res plane inſolitas et eſui alias ineptas, e. g. cretam, calcem, ceram, carbones, aliaque abſurda appetunt, et niſi appetitui illarum ſatisfiat, cardialgiam, lipothymiam, aliaque mala ſentiunt, imo foetui ſuo naevos alioſque morbos imprimunt: Ubi ergo rurſus prudentia opus eſt, ut, niſi deſiderata nimis abſurda, et plane noxia vel deleteria ſint, eadem non prorſus denegentur, quin potius in parca quantitate, quae ad appetitum ſiſtendum ſufficiunt, concedantur, junctis interea remediis ad cacochymiam directis alterantibus et evacuantibus talibus, quae foetui nullam noxam afferre queunt. Imprimis, quoniam delirium ſ. prava quaedam imaginatio et ratiocinatio hic intercedit, ſimul opera danda, ut aegra argumentis et perſvaſionibus ab illis deliris conceptibus abſtrahatur, et ad mentem ſaniorem redigatur. Appetitus abſurdi.

THES. XI. Hisque adeo omnibus diligenter obſervatis, gravidae alias ſanae, non facile morbis aliis tentantur. Quodſi tamen ex errore quodam diaetae, paſſiones colicae et hyſtericae ipſis obtingant, illis quoque mediantibus optime praeparatis, confortantibus, carminativis, nervinis, antiſpaſmodicis, abſorbentibus et reſolventibus temperantibus, cinnabarinis et ſimilibus ſatisfieri Paſſionis colicae et hyſtericae.

fieri debet et poteſt, qualia ſunt *Eſſentia carminativ. caſtor. citri et arantiorum*, *ſpiritus nitri et vitrioli dulcis*, *aqua carminativa temperata*, *embryonum*, *cinamon cydoniat. pulv. abſorb. cephal. Michael. Marchion. correcti*; et, ſi plethora vel intemperies ſangvinis calida conjungitur, venae ſectio, mediis geſtationis menſibus inſtituta, aut etiam repetita, praecipuum curae momentum facit.

Doloris capitis et dentium.

Thes. XII. Dolores capitis et in ſpecie dentium praegnantibus, potiſſimum hypochondriacis, ſcorbuticis et phlegmaticis familiares, communiter primis a conceptione diebus ingruunt, ob motum peregrinum, a contagio maris humoribus iſtis ſcorbuticis inductum. Ubi ſolum cavendum, ne hoc tempore medicamentis fortioribus, ſive purgantibus, ſive ſolum ſudoriferis, vel diureticis, foetus tenerrimus et in utero nondum ſatis firmatus trucidetur et ejiciatur. Dolores vero lumborum et coxendicum, praeter communes, nephritidis et arthritidis cauſas, hic quoque a mole, utero incluſa, dependet, et creſcente ac fortius ſe movente foetu, ob ligamentorum nervoſorum uteri, lumbis cohaerentium, diſtenſionem, per intervalla magis augetur; quae cauſa, licet rebus ſic ſtantibus removeri nequeat, tamen dolores mitigari poſſunt, quando ligamenta illa decenti ligatura abdominis fulciuntur, et paregoricis nervinis muniuntur. Cui fini intrinſecus *oleum amygdal. dulc. ſpermaceti*, *gelatin. C. C. pulv. cephal. Michael. lapid. canc. cryſtall. mont. Ebur. S.* Δ. *cinnabaris*, et ex his compoſita, exterius vero ungventa et linimenta inſerviunt. Plethoricis rurſus venae ſectio, deplendo ſangvinem, prodeſt, ut vaſa ſangvifera eo melius cedant, nec ſtagnationi ſangvinis occaſio detur. Multum quoque levaminis experiuntur, quae a victu largiori, eoque craſſo et

Lumborum et coxendicum.

ſo et flatulento ſe cohibent; Eo ipſo inteſtina facilius cedunt, et utero extenſo ſpatium liberum concedunt.

THES. XIII. Sic tuſſis praegnantium, undecunque orta, hic quoque notari et curari debet, quoniam ob frequentes concuſſiones thoracis et abdominis, facile abortum excitare, aut ad minimum ſitum ipſius turbare, et conſequenter partum difficilem efficere poteſt. Cui fini, praemiſſis univerſalibus, prae caeteris opem praeſtant *Tragaea ad tusſim et Eſſ. balſam. D. Praeſid. ſperma ceti cum ſaccharo tritum*, et *oleum amygd. dulc. cum juſculis hordaceis et avenaceis*, *ſpecies pectorales pro Thea*, et ſimilia; Externe etiam *unguentum dialth. pectoral. et nervin.* hypochondriis applicatum, egregie adjuvat et tuſſim lenit. Tuſſis.

THES. XIV. Quibusdam gravidis etiam urina cohibetur, vel plane ſupprimitur, imprimis circa geſtationis finem, quando veſica urinaria ab uteri antrorſum verſus reclinantis mole comprimitur, ita, ut lotium neque rite colligere et conſervare, neque debito modo et tempore ſecernere queat; Ubi tamen nullis aliis remediis opus, quam ut convenienti corporis ſitu et faſciis veſica ab onere iſto per intervalla liberetur; aut ſi haec non ſufficiunt, etiam fomentationes et balnea emollientia auxilium ferunt. Dyſuriae.

THES. XV. Propter vaſorum ſangviferorum a mole foetus creſcentis, uterique extenſione preſſionem in gravidis multis, praecipue hypochondriacis et cachecticis, ſcorbuticis, ultimis menſibus, venae crurales, circa divaricationes et valvulas, valde intumeſcunt, cum dolore, livore, inflammatione, imo etiam ruptura et haemorrhagia, matri et foetui periculoſa. Quibus ergo obſervatis, opus eſt, ut cauſae quaecunque concurrentes, quantum ſtatus praeſens permittit, prudenter removeantur, Varicum.

alvi adſtrictio blandis laxativis inhibeatur, ſangvinis viſciditas et craſſities, prohibitis alimentis acidis, auſteris, flatulentis, remediis alterantibus, abſorbentibus et reſolventibus, maxime nitratis & cinnabarinis, corrigatur, exuperantia vero ejus per venae ſectionem imminuatur. Et licet cauſa praecipua plane auferri nequeat, periculum tamen praecaveri poteſt, ſi extrinſecus ſimul diſcutientia et venas munientia, cum ligatura decenti applicantur. Cui ſcopo ſpiritus vini et lumbricorum camph. ol. lumbricor. limacum nigrorum, ungvent. martiat. d. ranis, cataplaſm. e farina fabar. Empl. diach. cum gumm. e ſperm. ran. oxycroc. et ſimilia, ſatisfaciunt. Quodſi etiam fiſſura venae alicujus forte contingat, exitus aliqualis ſangvinis non aeque nocet, indeque non ſupprimendus ſtatim, quin potius, tanquam criticus tantiſper permittendus. Exceſſus vero nec non exulceratio, ope ſolius ſpiritus vini rectificatisſimi impediuntur.

Haemorrhagiarum.

Thes. XVI. Sed plus periculi habent haemorrhagiae uteri inſolitae, et naturae praegnantis minus congruae, obſervante jam tum *Hippocrate VIII. Aph. LX.* ubi tale prognoſticum reliquit: Si mulieri utero gerenti purgationes ſ. menſtruae procedunt, impoſſibile eſt, foetum ſalvum manere. Intelligenda autem haec ſunt de haemorrhagia inſolita, et naturae praegnantis incongrua: Alias rarum non eſt, quod juvenculis et plethoricis, ad dimidium usque tempus geſtationis, imo ulterius, menſes ſatis largiter, ſalvo tamen fructu, fluant. Stillicidium aliquod ſangvinis vel ſeri uterini in gravidis, non ſtatim membranaram rupturam, aut placentae uterinae ſeceſſum arguit, niſi alia laeſionis indicia accedant, quae igitur ex omnibus circumſtantiis, tam anteceden-

cedentibus, quam concomitantibus et conſequentibus, inter ſe collatis, judicari debent. Quodſi vero tales haemorrhagiae p. n. a morbo aliquo, aut ſolum ab injuriis externis, caſu, vel contuſione corporis, terrore, ira aliisque animi ac corporis commotionibus, in ſubjectis, alias langvidis et exangvibus, contingat, tunc omnino metus eſt, ne eo ipſo ſimul foetui debitum nutrimentum ſubtrahatur, et exinde abortus aliaque plurima mala ſequantur, indeque ſubito opera danda, ut cauſa mali quaecunque removeatur, haemorrhagia ſiſtatur, mater et foetus corroborentur. Cauſae autem internae, uti e pathologia notum, ſunt vel ſangvinis abundantia et turgeſcentia, quae in his ſubjectis, ob conſvetae purgationis menſtruae cohibitionem, frequenter contingit, vel ejusdem quoque craſſities et in viſceribus depuratoriis ſtagnatio et acrimonia; Illae igitur ſecundum indicantium normam per venae ſectiones, nec non alterantia et aperitiva caute removeri debent, ne foetui nutrimentum ſubtrahatur, aut alia quaedam noxa inferatur. Quodſi vero, uti dictum, injuriae externae, lapſus, contuſiones, alterationes graves in culpa fuerint, etiam his per debita remedia alterantia, affluxum et effluxum ſangvinis inhibentia, ſimulque foetum et matrem confortantia temperata, reſiſti debet, qualia uſu et experientia probata ſunt: *Eſſent. traumat. D. Praeſid. Tinct. Corall. cum ſucco citri parat. lapid. haematit. roſar. et papav. errat. cum eodem ſucco ſaturatae*, item *pulveres et potiones ex bolo armen. ſangv. dracon. pulv. ſtyptic. ſperniol. croll. correct. Bezoard. Marchion. contra abortum*, et ſimilia.

THES. XVII. Ita aquarum, ad foetum pertinentium, eruptio inſolita, diu ante tempus partus in gravidis contingens, communiter valde ſuſpecta, et immi- Eruptionis aquarum.

nentis

nentis abortus prodromus eſt; indicat enim membranarum, ſive chorii, ſive amnii laeſionem et rupturam gravem, id quod ſimul ex antecedentibus et concurrentibus circumſtantiis judicandum: antecedunt enim ſemper injuriae, lapſus matris, contuſiones, jectigationes, elevationes onerum graviorum aliave. Explorandum quoque eſt, an aqua ſolius chori, vel etiam amnii ſit, eaque an larga, quae foetui nutrimentum ſubtrahere poſſit? Item an ſangvinis largi miſturam habeat, an terminus partus revera nondum inſtet, vel ſolum ex errore calculi et temporis conceptionis talis videatur? Quibus omnibus probe examinatis, demum patet, an et quantum periculi ſubſit. Contingit enim in foeminis plethoricis et ſeroſis, quod aquae tales extra integumenta foetus, in locis vicinis, inter illa et uterum colligantur, et aucta copia, data occaſione excernantur, citra ullam laeſionem foetus, imo potius cum emolumento ipſius. Ac propterea excretio illa non impedienda, ſed potius permittenda: Imo laeſio aliqualis chorii iſtiusque aquae effuſio parca, non adeo periculoſa eſt, modo mater tranquille ſe gerat, omnesque corporis animique motus fortes evitet: aut, ſi opus, etiam medicinam leviter adſtringentem balſamicam, ad praecavendum abortum, ex prioribus adhibeat.

Abortus imminentis.

THES. XVIII. Abortionis periculum quidem a multis admodum cauſis, tam matris, quam ipſius foetus, vel utriusque culpa contingit, ſemper tamen gravis quaedam laeſio uteri antecedit, propter quam fibrae ejus graviter irritatae et preſſae, citius et fortius, quam par eſt, ſe movent, per vices modo ſe dilatant, modo conſtringunt, eoque ipſo fructum contentum excludere conantur. Cognoſcitur hoc, uti dictum, ex laeſionibus

antece-

antecedentibus, quas comitantur foetus ipſius verſus orificium uteri decubitus, moles gravativa circa ingvina, frigiditas et collapſus abdominis, mammarum flaccities, ſangvinis, vel ſolum aquae eruptio etc. de quibus omnibus *D. D. Praeſidis Diſſert. de abortu* plura videri poſſunt. Hisque ita obſervatis, quam citiſſime opera danda, ut cauſae, quaecunque illae fuerint, tam remotiores, quam proximiores removeantur, mater et foetus, ſi vivit, corroborentur, et ad debitum a natura deſtinatum tempus partus conſerventur. Hoc fine rurſus, praemiſſis praemittendis, imprimis quiete matris, remedia, quibus humorum motus nimius et intempeſtivus confluxus coerceri poſſunt, e *coralliis, ebore, margaritis, unicornu, bolo armeno, granis chermes, maſtiche, nuce moſchata, pulv. contr. abortum, ſpec. de hyacynth. aqua cinnamon. cydoniat. embryon.* et ſimilibus parata, proſunt. Nullatenus vero remediis empyricis, a vulgo praeter rationem commendatis, fidendum: uti ſunt os de corde cervi, germina ovorum ſubventaneorum, pulvis ex umbilico infantum, cineres erinacei et hujusmodi farinae, et plura alia. Quod ſi etiam ob gravitatem laeſionum, aut curam debitam neglectam, inevitabilis abortionis neceſſitas inſtet, eandem omnino permittere, aut etiam debito modo promovere opus eſt, ne mater ſimul cum foetu perdatur.

THES. XIX. Atque haec ſunt mala, ſexui huic alias teneriori et imbecilliori, ob ingravidationis ſtatum admodum familiaria. Contingunt quidem gravidis etiam plura alia ſymptomata, febres intermittentes et continuae, ſimplices et complicatae, inflammatoriae, paralyſes, convulſiones, aliaque, quae tamen, quia a communibus aliis cauſis dependent, communibus quoque — *Morborum aliorum.*

remediis curari poſſunt et debent, ſaltem ut in adhibendis remediis generoſioribus, nimirum emeticis, purgantibus, diureticis, opiatis, V. S. et ſimilibus, prudentia adhibeantur, ne embryoni exinde vis inferatur.

Cura Molae. Igitur quaedam tantum de molis hic notabimus, quae quidem non ſolum in gravidis, ſed aliis quoque foeminis, maritatis tamen, reperiuntur, ſuntque nihil aliud, quam excreſcentiae carnoſae, e placentae uterinae partibus, a partu vel ſolum abortu in utero relictis, et propter connexionem vaſorum firmiorem aliquamdiu nutritis et augmentatis. Propter augmentum mentiuntur ſaepe ingravidationem veram, imo etiam cum eadem concurrunt, indeque admodum difficulter cognoſcuntur, et non niſi e plurimis circumſtantiis, conjunctim conſideratis, ab eadem dignoſcuntur: Aeque enim ac a conceptione venter ſenſim intumeſcit, appetitus imminuitur et depravatur, etiam cum nauſea et vomitu; ceſſat quoque purgatio menſtrua, et quae plura alia in gravidis obſervantur, ut non ſolum aegram, ſed etiam medicum facile fallant, niſi omnes circumſtantiae conſiderentur: Reſpiciendum igitur ſimul ad antecedentia, an nempe foemina ad conceptionem apta viſa fuerit? an in conjugio foecundo vel ſterili vivat? an menſes rite ſucceſſerint? an cachexiae ſigna adſint? an tumor abdominis conceptionem anteceſſerit, vel etiam diutius ultra legitimum gravidationis tempus duraverit? an quoque ſenſim, prout in gravidis ſolet, et quidem demum poſt quartum conceptionis menſem, vel ſubito praeter ſolitum accreverit? an non motus, qui in abdomine ſentiuntur, a flatibus oriantur &c. quibus omnibus aliisque pluribus examinatis et inter ſe collatis demum judicari poteſt, an, quid et quomodo curandum ſit? Quod ſi vero

utriusque

utriusque ſtatus ſigna concurrant, et, uti modo diximus, molae tales cum vera ingravidatione conjungantur et augeantur, neceſſe eſt, ut tempus partus ordinarium expectetur, adhibitis interea remediis inſontibus confortantibus, ad cachexiam magis directis; Quo deinde elapſo, natura omnibus modis excitari et adjuvari debet, ut molam ſive ſolam, ſive etiam cum vero fructu conjunctam, quantocyus excludere ſuſcipiat. Cui fini remedia ad partum promovendum neceſſaria in ſequenti Capite ſuppeditabimus. Eſto igitur

CAP. II.

DE

CVRA PARTVRIENTIVM ET PVERPERARVM.

THES. I.

Niſi partus quotidie fieret, nemo facile, nec naturae peritiſſimus crederet, eundem naturaliter hac ratione, via et modo fieri poſſe: Adeo miraculoſa ſimulque periculoſa res eſt, ut, judicio Scripturae, ter in acie ſtare, quam ſemel parturire praeſtet. Tanto major igitur cura, diligentia et prudentia adhibenda, ut natura huic oneri ſaepe impar, debitis remediis adjuvetur, partus inſtans promoveatur, deinde et mater et foetus decenter tractentur. Accidit hic ſaepe in puncto, quod non ſperabatur, tunc etiam minima mora periculum afferre poteſt. Cavendum tamen quoque eſt, ne partus praeter neceſſitatem et naturae ductum acceleretur. Quemadmodum enim piaculare facinus eſt, gravidam, foetu nondum ſatis maturo, et indicationibus partus neceſſariis adhuc deficientibus, ad enixum impellere, Cura Parturientium.

uti quidem ab imperitis obſtetricibus ſaepe fieri ſolet; ita non minus abſurdum et damnabile eſt, inſtantem partum debito tempore et modo non rite adjuvare.

Signa partus inſtantis bene obſervanda.

THES. II. Ne igitur obſtetrix, vel etiam Medicus, in conſilium vocatus, in utroque horum deliquant, ante omnia partus vere et proxime inſtantis ſigna cognita habeant neceſſe eſt. Eaque non ſolum a tempore, ſaepius prorſus incerto, ſed pluribus aliis indiciis conjunctim ſumtis petenda ſunt. Homini ſiquidem, aeque ac brutis, a Creatore certus pariendi terminus eſt deſtinatus, finis nimirum menſis noni ac principium decimi, adeoque ducenti et quinquaginta dies, intra quos demum ſuam perfectionem acquirit, indeque non ob magnitudinem ſuam et ſpatii, vel alimenti defectum, ſed potius reſpirandi neceſſitatem ad exitum tendit: quando a turgeſcentibus tunc ſuccis omnibus vaſa repleta organa reſpirationis, imprimis diaphragmatis et thoracis, muſculos ad dilatationem et contractionem ſollicitant, eoque ipſo in eodem praecordiorum anguſtiam, anxietatem, calcitrationes et motiones efficiunt, quibus tandem funiculus umbilicalis diſtenditur, placenta cum eodem cohaerens ab utero ſeparatur, et ſic, retinaculo hoc ſoluto, totus foetus mole ſua verſus uteri orificium ruit, illudque premendo ad ſui excluſionem ſtimulat. Fruſtra ſtimulatur natura nondum operi huic naturaliſſimo exercendo apta: Nusquam feſtinatio magis nocet, quam in partus diſcrimine, matri et foetui pernicioſiſſima. Intempeſtiva ſtimulatio ſaepius cauſa infelicis partus fieri ſolet. Quoniam tamen illa humorum turgeſcentia, ob diverſas admodum cauſas non in omnibus eodem praeciſe tempore contingit, ſed, teſte quotidiana experientia, dierum aliquot latitudinem requirit, neque tempus conce-

conceptionis, conſequenter nec terminus formationis ſatis certo ſciri poſſunt, ideoque neceſſe eſt, ut alia quoque ſigna certiora et infallibilia conjungantur, quando nempe hypochondria et ſuperior abdominis pars in gravida manifeſte gracileſcunt, ingvina vero et pecten elevantur, cum doloribus pubem verſus, mit rechten Wehen, cum teneſmo et preſſura veſicae, nec non orificii uteri interni dehiſcentia. Quibus omnibus, vel plerisque ſolum apparentibus, mora omnino periculoſa, omnisque opera danda, ut adveniens hoſpes ab obſtetrice decenter excipiatur, et una cum matre omnibus ſubſidiis neceſſariis adjuvetur.

THES. III. Non tamen opus eſt, ut parturiens ſtatim ſellae vel lecto committatur, ſed ſufficit, quod in conclavi tepido pro viribus caute obambulet, vel etiam ab adſtantibus ſuſtentetur et ducatur, donec ad enixum omnia ſatis apta et parata obſervantur; cavendo ſimul, ne foetus forte praeter opinionem elabatur, vel quocunque modo laedatur. His quoque obſervatis, et quando dolores ſerio urgent, obſtetrix diligenter obſervet omnia, quibus exitus foetus facilitari poteſt, removendo omnia obſtacula, vias ſc. emolliendo, et blande extendendo, tunicas, ſi duriores fuerint, caute aperiendo, humores et ſangvinem fluentem abſtergendo, aliaque, prout obſtetricem prudentem et laborioſam decet, adminiſtrando. In partu ipſo naturali obſervanda.

THES. IV. Nondum etiam mater, egreſſo licet foetu, liberata eſt, niſi a ſecundinis ſe expedierit, quae licet communiter una cum foetu exeant, ſaepe tamen, ob arctiorem placentae cohaeſionem, aliaque obſtacula diutius, imo ad aliquot dies in utero retinentur, niſi earum exitus omnibus modis promoveatur. Quodſi Quoad ſecundinas.

igitur contingit, opus eſt, ut obſtetrix foetum una manu in ſinu conſervet, altera vero funiculum leniter, modo recta, modo oblique ducat, donec placenta ſequatur, aut ſi non ſequitur, manum, utero nondum clauſo, teneriorem oleo lil. alb. imbutam immittat, et placentam adhuc cohaerentem blande ſeparare tentet; Quod ſi fieri nequit, foetum a funiculo ſuo ſeparatum aliorum curae tradat, funiculum vero adhuc firmiter teneat, aut ſi moram longiorem requirit, eundem interea cruri matris alliget, ne in uterum recedat, et ſucceſſive tandem ſeparetur. Dantur enim exempla, ubi ſecundinae tales ad aliquot dies, imo ſeptimanas retinentur, et nihilo ſecius ope naturae ac medicinae excluduntur.

Cautelae in partu difficili ex culpa matris obſervandae.

THES. V. Sed foetus ipſius excluſio quoque non raro admodum difficilis, aut plane impoſſibilis redditur, ſive matris, ſive foetus, aut utriusque culpa, quae ut quantocyus removeantur, omnem lapidem movere convenit. Et quidem viarum in matre anguſtia, undecunque, etiam ab oſſium pubis et coccygis arcta cohaeſione orta, requirit ſtatim emollientia, primum externa per fomentationes, balnea, clyſteres et linimenta nervina; quibus deinde etiam confortantia interna, e *caſtoreo*, *fuligine*, *aſa foetida*, *myrrha*, *ſuccino*, *croco*, *cortic. arant. citri*, *cinamom. borrace venet.* et ſimilibus parata adduntur. Ipſius vero uteri ſitus vitioſus propter hernias aliasque cauſas, ſi in culpa fuerit, decubitu et ſitu matris in oppoſitum latus, nec non ligaturis, aliisque adjumentis corrigitur.

Ob culpam foetus nimis magni.

THES. VI. Eadem emollientia et nervina etiam proſunt, quando foetus ſolito major fuerit: Si ſolius capitis magnitudo in culpa, uti fit in hydrocephalis, iisdemque jam mortuis, tum quoque caput monſtroſum,

ſum, orificio uteri oppoſitum, inter ſuturas caute, pro exitu aquae, incidere juvat, ut contrahatur, eoque facilius extrahi queat, cavendo tamen ſemper, ne mater laedatur: Interdum in partu ejusmodi infelici caput per imprudentiam obſtetricis, aut foetus ipſius corruptionem in utero relinquitur, quod ſine mora, antequam uterus clauditur, manibus vel uncis caute extrahendum.

Vel Gemellorum.

THES. VII. Ita quando forte gemelli, aut plures foetus ſimul et ſemel ad exitum tendunt, et ſic partum difficilem reddunt, tunc neceſſum eſt, ut alter digitis immiſſis caute coerceatur, et ad uteri fundum moveatur, donec orificio propior exitum invenerit; ubi tamen ſciendum, quod gemelli interdum unica tantum placenta gaudeant, atque tunc egreſſo uno foetu, ejusdemque funicnlo abſciſſo, alter ſtatim quaerendus et educendus. Ita quoque fit, quod gemellorum artus variis modis in utero complicentur, ubi rurſus cavendum, ne utriusque partes ſimul apprehendantur, aut in eductione unius alterius membra laedantur. Quodſi vero per formationis errorem plane coaluerunt, et vivunt, nullum aliud remedium ſupereſt, quam ut conjunctim educantur.

Situs vitioſi.

THES. VIII. Interdum ob ſitum vitioſum foetus ſibi ipſi viam intercludit, quando forte brachium unum vel alterum, vel utrumque praecednnt, ubi omnis ſtatim opera danda, ne apparentibus ſolum manibus exitus ullius concedatur, ſed, quantum fieri poteſt, citiſſime, reclinata in dorſum parturiente, decenter ſurſum trudantur, et in naturalem ſitum redigantur, antequam, accedente inflammatione viarum vel ipſius partis elapſae, tam mater, quam foetus, in praeſentaneum vitae periculum redigantur. Minus periculi habet, quando pe-

des

des praecedunt, modo ambo pedes conjungantur, et mediantibus illis foetus caute extrahatur. Cavendo tamen rurſus, ne, ſi forte gemelli fuerint, pes alterius foetus apprehendatur, deinde poſt egreſſos pedes, manus ejus et brachia ſimul quaerantur et extrahantur, et, niſi facies ejus deorſum ſpectet, caput poſt egreſſum ſcapularum ita dirigatur, ne oſſa pubis tranſitum ejus difficiliorem reddant. Quod ſi etiam foetus ſitu plane inverſo et contorto prodire conatur, quando e. g. ſcapulae, vel dorſum, vel clunes et anus, vel abdomen et umbilicus in orificio uteri primum apparent, nullum aliud remedium ſupereſt, quam ut decenti matris decubitu, hypochondriorum et laterum extenſione, prudentique manuum obſtetricis opera, ſitus ille vitioſus quantum poſſibile corrigatur, aut, ſi foetus interea mortuus videtur, inſtrumentis aptis ſine matris laeſione eximatur. Cujusmodi operationes apud *Henricum a Deventer in arte obſtetricandi, Mauriceu de morbis puerperarum, Solingen in Chirurg.* et alibi legi poſſunt, ſed rectius uſu et experientia addiſcuntur.

Cura Puerperarum poſt partum.

THES. IX. Sed, ſuperatis licet laboribus partus, adhuc requiritur, ut puerpera fatigata et quaſi vulnerata decenter tractetur, purgamenta ſubſequentia rite promoveantur et abſtergantur, uterus et partes internae in naturalem ſtatum redigantur, et ſymptomata metuenda impediantur. Eo fine mater in loco temperato et lecto ad aliquot dies, novem circiter conſervatur, venter inferior faſcia lata nonnihil conſtringitur, ſi opus, etiam ungvento, vel oleo nervino, vino calido diluto, ſimul inungitur, et mater juſculis calidis recreatur. Diebus deinde novem circiter elapſis, et ceſſantibus ſenſim lochiis, conceditur, ut in conclavi ſuo deambulent,

a moti-

a motibus tamen fortioribus adhuc abſtineant, et ante diem quadrageſimum, niſi neceſſitate urgente, in publicum haud prodeant. Nec inutile eſt, ſi ante exitum quoque leni laxativo ab impuritatibus reſiduis purgantur, et, ſi opus, uteri ac reliquorum viſcerum tonus, inſeſſu, ex herbis nervinis facto, corroboretur.

THES. X. Quibus omnibus licet obſervatis, multo magis vero neglectis, in debilioribus et cacochymicis, ſequuntur varia ſymptomata, quibus averruncandis, aut ad minimum mitigandis Medicum rurſus omnem operam et induſtriam adhibere decet. Communiter poſt partum ſtatim dolores ſaepe acerbiſſimi ventris inferioris, die Nach-Wehen, puerperas affligunt, non aliter, ac ſi novum denuo foetum edere neceſſum foret; idque partim ob diſtenſionem et laeſionem gravem uteri, vicinarumque partium, praecipue a partu difficili, dum ſe rurſus contrahere et in priſtinum ſtatum conſtringere conantur, partim etiam ob confluxum ſangvinis plus minus viſcidi, craſſi, flatulenti et acris, ſeu lochiorum, quando reſtitant, nec, uti decet, ſecernuntur. Reſpiciendum ergo ad illas cauſas, et ut ante omnia nervoſum genus adeo vulneratum blando calore et remediis paregoricis in priſtinum ſtatum reſtituatur. Cui ſcopo prae caeteris, et quidem interne, *oleum amygd. d. ſperm. ceti, Pulv. ſem. aniſ. cumin. Ireos. fl. cort.* ☉*ant. eſſent. carminativ. temperat. caſtorei* et ſimilia; externe vero *ungvent. nervin. ol. chamoem. ruth. anethi, lauri, juniperi,* nec non *fomentationes ex ejusmodi carminativis fl. chamoem. comm. et roman. rad. angelic. calam. arom. bacc. juniperi, laur.* in vino coctis inſerviunt. Quod ſi etiam lochia ſimul reſtitent, eorum quoque ratio habenda.

Symptomatum iis contingentium.

Dolorum poſt partum.

THES. XI. Saepe enim fit, quod ſangvis ille ſeroſus

Fluxus lochiorum difficilis et ſuppreſſi.

ſus et chyloſus, qui poſt ſeparatam ab utero placentam, et ante ejus conſtrictionem, e vaſorum ſangviferorum oſculis neceſſario ad aliquot dies ſecedere et expurgari debet, a variis tamen cauſis, tam externis, quam internis cohibeatur, unde non ſolum tormina modo dicta, ſed etiam uteri inflammatio, febres, convulſiones, deliria, aliaque mille mala oriuntur. Purgatio quidem iſta non in omnibus puerperis aequalis eſt, ſed pro diverſitate temperamentorum, conſtitutionum, aetatum, aliarumque circumſtantiarum, in aliis largior vel parcior, ad plures vel pauciores dies, continuo vel per intervalla contingit; In omnibus tamen, uti dictum, etiam exacte ſanis, multo magis vero cacochymicis, ob vaſorum uterinorum per placentae ſeparatae denudationem et apertionem abſolute neceſſaria eſt. Sive igitur a cauſis ſolum extrinſecis, nempe frigore admiſſo, terrore aliisve, ſive etiam ab inrernis, ſangvine nimirum viſcido, craſſo, auſtero, grumeſcente, ea impediatur, opus eſt, ut, remotis ſtatim impedimentis illis externis, et adhibita decenti diaeta, ſangvis ille vitioſus corrigatur, reſolvatur, et ad exitum promoveatur. Idque praeſtant remedia omnia modo ad tormina commendata, et in ſpecie quoq; magis *reſolventia et diaphoretica, vp. Eſſent. antipleurit. et antiſpaſmod. D. D. Praeſid. fuligin. myrrhat. pimpinell. elix. propr. S. a rhabarb. ſpir. carminat. vitriol. dulc. clyſſ. alkal. aq. cham. comp. phyſogon. cort. ar. ſalv. et ſerpill. comp. Pulveres e lapid. cancr. myrrh. ſuccin. borrac. croc. ant. diaph. bezoard. miner. martial.* et plura alia; quorum effectus per antea quoque laudatas fomentationes non parum adjuvatur.

Fluxus lochiorum nimius.

Thes. XII. Sed idem lochiorum fluxus interdum etiam nimius et valde doloroſus fit, ſive ob gravem vaſorum

ſorum in partu difficili laeſionem et lacerationem, ſive ſangvinis ipſius copiam, turgeſcentiam et acrimoniam; id quod e circumſtantiis omnibus ſtudioſe indagatis judicandum, et ſecundum indicationes iſtas deinde cura dirigenda. Ante omnia hic probe obſervandum, ne fluxus ille nimis ſubito ſupprimatur, ex quo uteri inflammatio, gangraena, aliaque mala ſequuntur. Sufficiunt tantum moderate adſtringentia, quae ſimul acrimoniam et turgeſcentiam humorum corrigunt, eorundemque ſtagnationem impediunt. Qualia ſunt: *Pulveres et potiones e coralliis cum ſucco citri ſaturat. bolo armen. terr. ſigillat. unicorn. foſſil. C. C. uſt. et phil. ebore. lapid. haemat. ſangv. dracon. ſtypt. D. D. Praeſid. ſpec. d. Hyacinth. d. gemm. frig. cum particula quadam pulv. anodyn. vel laudan. opiat.* Quibus pro aegrotantium deſiderio etiam *Eſſentiae et Tincturae tales leniter adſtringentes et diſcutientes e ſucco catechu, coralliis, flor. papav. rhaead. anod. aut infuſum aliquod e rad. tormentill. beſtort. herb. et ſemin. plantagin. millefol. hyperic.* interponi poſſunt; obſervata ſemper diaeta convenienti, imprimis animi et corporis quiete, omniaque illa vitando, quae motum illum ſangvinis praeternaturalem augere et promovere poſſunt.

THES. XIII. Eaedem cautelae in diarrhaea puerperis quibusdam familiari obſervandae, et ſtatim judicandum, an talis critice fiat, vel ſymptomatice. Illa enim, niſi valde excedit, non ſupprimenda, quin potius promovenda, aut ſolum permittenda, modo vires decenti victus ratione conſerventur; Haec vero ſucceſſive cohiberi debet, ita tamen, ne lochiorum fluxus neceſſarius ſimul ſupprimatur. Ideoque, commendata rurſus diaeta decenti, magis conveniunt ſtomachica et uterina Diarrhaeae.

temperata, tonum horum viſcerum roborantia et moderate adſtringentia ſelecta, uti ſunt *Eſſ. caſtor. theriacal. menthae balſam. ſelect. de ſcord. correct. d. hiacynth. theriacal. Pulv. Bezoard. Pannon. rub. abſorb. D. D. Praeſid. cum aqua menth. cinamom. cydon. theriacal.* Quibus, ſi neceſſitas poſtulat, etiam externa talia, *ungvent. nervin. cum oleo macis, ment. maſtich. nec non ſacculi ex ejusmodi nervinis parati et in vino cocti* adduntur.

Febris lacteae.

Thes. XIV. Ita pleraeque puerperae altero, vel tertio ſtatim a partu die, horrore quodam febrili et ſuccedente calore praeternaturali, corripiuntur, quando ſcilicet, ſeparata poſt partum placenta uterina, uteroque ipſo ſubſidente, ſerum chyloſum, per arterias ad uterum matris derivatum, non amplius, ut antea, ad nutritionem foetus ſeparatur, fieri non poteſt, quin ſangvis ibidem quodammodo ſtagnet et turgeſcat, turgeſcendo motum quendam praeternaturalem et febrilem concipiat, antequam motu iſto retrogrado per venas ad mammas pro ſecretione lactis deferri poteſt. Qui tamen motus peregrinus facile evaneſcit, niſi a cacochymia jam praeſente, aliisque cauſis novus fomes febrilis ſuppeditetur. Dignoſcitur ergo haec febris ex eo, quando tempore iſto, ubi lac ad mammas confluere ſolet, absque aliis cauſis manifeſtis, cum levi horrore, nec non dolore inter ſcapulas, turgeſcentibus uberibus, ingruit, ſed uno vel altero ſudore, ope ſolius naturae, vel etiam medicinae facile diſcutitur.

Febrium continuarum.

Thes. XV. Quando vero febres ex cacochymia, tempore geſtationis collecta, aut, uti antea obſervavimus, a ſecundinis et lochiis retentis, laeſione uteri aliisque cauſis ortum ſuum habent, aeque ac reliquae continuae, imo magis periculoſae ſunt, ob cauſas illas ſpe-

ciales,

ciales, eoque cautius tractandae: Omnes ſiquidem puerperae merito pro vulneratis habentur, et febres exinde ortae tanquam vulnerariae et inflammatoriae curari debent. Exinde etiam fit, quod ſymptomata longe graviora, inflammatio non ſolum uteri, ſed aliorum quoque viſcerum, convulſiones, deliria, purpura, aliaque easdem comitentur. Quemadmodum igitur nulla, febrium continuarum in ſubjectis, etiamſi robuſtis, periculo vitae careat, ita multo magis illud augetur in his tenerioribus, delicatioribus, et, uti diximus, vulneratis. Opera igitur danda, ut non ſolum cauſae communes, tam remotiores, quam proximiores, citiſſime removeantur, intemperies ſangvinis ac reliquorum humorum corrigatur, ſymptomata metuenda praecaveantur, aut ad minimum mitigentur, et vires conſerventur. Non ergo ſufficit hic methodus febres medendi communis, ſed requiritur, ut ad cauſas illas ſpeciales ante omnia reſpiciatur: Ita notum eſt, quod purpura nullis magis, quam puerperis periculoſa, imo ſaepiſſime funeſta ſit, ex nulla alia procul dubio ratione, quam quod, uti antea diximus, in his, praecipue cacochymicis et ſcorbuticis, vel genio ſuo indulgentibus, geſtationis tempore, ſvetae ſangvinis depurationes ceſſent, conſequenter plures impuritates colligantur, quae deinde per labores partus, et retentis tantiſper ſecundinis, vel lochiis, in motum redactae, tantas turbas excitant, ut, niſi cito cohibeantur, texturam totius maſſae ſangvineae ſubito deſtruant. Confirmant hoc exanthemata et puſtulae ſeroſae, quando ſerum a cruore in coagulum et grumos abeunte ſecedit. Unde prae caeteris ejusmodi remedia adhibenda, quae temperaturam et compagem ſangvinis conſervare, ejusdemque reſolutionem impedire

 poſſunt.

poſſunt. Praeſtant hic *Bezoardica temperata, Eſſentia theriacal. acidulat. Tinct. bez. miſtur. S. Eſſent. Caſtor. Antipleurit. D. Praeſid. pulv. ex. C. C. phil. ſ. △. dent. equi marin. lapid. cancr. corall. matr. perlar. antimon. diaphoret. bezoard. jovial. martial. nitr. depurat. antimoniat. arcan. duplicat. Pulv. Bezoard. Pannon. rub. nervin. antiſpaſmodic. ſpec. de hiacynth. de gemm. frig. elect. diaſcord.* cum *aquis ejusmodi temperatis diluentibus flor. ſambuc. hyperic. ſcorzoner. galeg. prophylact. ſylv. cord. frigid. antepilept. Langii* et ſimilibus. Omittendo omnia nimis volatilia, camphorata.

Phrenitidis et convulſionum.

THES. XVI. Eadem methodo procedendum, quando, uti fieri ſolet, deliria phrenetica, et convulſiones in febricitantibus iſtis accedunt. Oriuntur haec itidem a gravi laeſione et vulneratione uteri nervoſi, ex qua non ſolum inflammatio et febris inflammatoria, vulneraria, ob circulum ſangvinis impeditum, inducitur, ſed quoque ipſum cerebrum totumque genus nervoſum in conſenſum trahitur: Unde praeter illa antifebrilia alexipharmica etiam *nervina antiſpaſmodica pulv. Marchion. Cephal. Michael. Epilept. mirabil. Mynſicht. corr. antiſpaſmod. D. Praeſid.* ſimul in auxilium trahenda. Et, quod primo loco monere volebam, venae ſectio, reſpectu inflammationis internae in tempore, etiam repetitis vicibus, ſi opus, inſtituenda. Aut ſi, uti antea jam obſervavimus, ſecundinarum, vel lochiorum retentio conjungitur, eorum quoque ratio ſimul habenda.

Tumoris abdominit.

THES. XVII. Atque haec erant ſymptomata puerperarum, prae caeteris ſumme periculoſa, quae proinde non ſolum ſpecialem, ſed etiam ſubitaneam opem ſibi poſtulant. Adhuc tamen alia mala miſeras puerperas affligunt: In quibusdam inſignis tumor abdominis relinquitur, ut continuo quaſi gravidae videantur, quando ſcilicet

licet ob defectum purgationis ſvetae, et relictas in glandulis et tubulis uteri partiumque vicinarum impuritates, uterus conſequenter et abdomen debito modo ſe conſtringere nequeunt, quibus niſi in tempore obviam eatur, humores illi ſtagnantes magis magisque ſpiſſeſcunt, aceſcunt, digeſtiones et ſecretiones primarum viarum impediuntur, exinde cruditates plures, ſimulque flatus generantur, tandemque cachexia totalis, tympanites & aſcites ſequitur. Illis igitur quoque ſuccurrendum remediis blande evacuantibus, abſtergentibus, ſimulque tonum uteri aliorumque viſcerum corroborantibus amaris, balſamicis et carminativis. Seligimus hic prae caeteris *Elixir. propr. c. rhabarb. uterin. eſſ. caſtor. ſalutis. fuligin. myrrh. balſamic. gentian. arantior. amara. carminativ. miſt. ſ. ſpir. nitri et vitriol. dulc.* nec non *pulveres tales e rhab. myrrh. lapid. cancr. pulverem uterin. D. Praeſid.; In ſpecie vero vinum medicatum ex infuſo rhabarb. gentian. helen. angel. zedoar. cort. citri arantior. herb. meliſſ. flor. cheiri etc.* ultimis diebus puerperii, ante exitum maxime ſalutare eſſe novimus. Quibus ſi opus videtur, etiam *fomentationes et infeſſus ex ejusmodi herbis puleg. origan. abrotan. ſerpill. thym. et floribus chamoem.* paratis, et poſt illas *linimenta reſolventia e ſpiritu matrical. lumbricor. ſalv. et ſerpill. compoſ.* item *unguent. nervin. ol. lauri, chamoem. ruth.* ſuperaddi poſſunt. Praeterea non ſemel obſervavimus, quod, ſi malum hoc cura ita adminiſtrata, penitus tolli non poteſt, tamen ſenſim et imprimis poſt futurum puerperium evaneſcat.

THES. XVIII. In aliis ob laeſionem ſphincteris veſicae, relinquitur urinae incontinentia et fluxus involuntarius, malum admodum taedioſum et moleſtum. Quod ne incurabile fiat, opera danda, ut muſculi vulnerati, nimis relaxati, antequam tonum ſuum penitus amit- *Incontinentiae Urinae.*

tunt,

tunt, vel calloſitatem contrahunt, rurſus conſtringantur et confirmentur. Cui fini rurſus *fomentationes efficaces ex herbis balſamicis menthae, origani, ſalviae, majoran. ruthae, ſcordii, vel thermae ipſae, nec non linimenta ex oleis verbaſci, roſarum, maſtich. myrtin. album. ovorum balſam. de Copaiba Peruvian.* itemque *emplaſtrum maſtichin. pro lumbis* inferviunt.

Prolapſus vaginae uteri.

Thes. XIX. Ejusmodi curam ſubitaneam et remedia requirit prolapſus et inverſio vaginae uterinae, quando fibrae ejusdem, potiſſimum orbiculares, in partu violento et manibus imperitae obſtetricis ita extenduntur, vel plane lacerantur, ut amplius ſe contrahere nequeant, niſi ex tempore per ejusmodi fomentationes reſtituantur.: Quae vero tempus hoc opportunum neſciunt, aut negligunt, illae opus habent, ut, intruſo per vaginam globulo, vel circulo cereo, eandem in ſitu naturali retineant.

Defectus lactis.

Thes. XX. Vidimus quoque antea, quod poſt ſeparatum a matre foetum et placentam, uterus neceſſario in ſe rurſus contrahatur, indeque chyloſum illud ſerum, quod antea per arterias ad uterum pro nutritione foetus largiter confluebat, nunc, motu plane inverſo et novo, per venas quidem verſus centrum ſuum, nempe ad cor, et abhinc per arterias mammarias ad ubera, pro ſecretione lactis, refluere cogatur. Saepe vero contingit, quod motus ille ſeri chyloſi a variis admodum cauſis turbetur, aut plane inhibeatur, adeo ut parum, vel nihil lactis ibidem, cum defraudatione recens nati, ſeparari poſſit. Circumſpiciendum igitur ad cauſas, utrum nimirum malum a vitio humorum, vel vaſorum circulantium, vel utrorumque dependeat? Et quidem, an defectus ſolum nutrimenti, vel viſciditas et craſſities, aut

averſio

averſio ejus ad alia loca in culpa ſit? Si defectus obſervatur, ſufficiunt prae caeteris *alimenta largiter nutrientia, juſcula et pulmenta e farina puriſſima, oryza, hordeo, pineis, piſtaceis et ſimilibus, cum ſemine aniſi, foeniculi, cumini, paſtinaceae* condita. Quibus, ſi debilitas ventriculi poſtulat, etiam medicamenta carminativa addi poſſunt. Si vero ille defectus forte a diverſione et ſecretione nutrimenti aliorſum verſus, e. g. diarrhaeis, haemorrhagiis largis, ſudoribus nimiis et ſimilibus dependet, ante omnia illi quoque affectus debitis remediis removeri debent: Quemadmodum, ſi ſangvinis et ſeri ipſius viſciditas concurrit, etiam reſolventia appropriata, *ſpir. C. C. ſalis ammoniac. aromat. aniſ. Bezoardic. Eſſ. pectoral. balſamic. chaerefol. pimpinellae, belen.* nec non *pulveres* acidum abſorbentes *e cryſtallo montan. C. C. philoſoph. Ebore, lacte lunae, antimon. diaphoret.* It. *infuſum aliquod e rad. ſcorzoner. chin. liquirit. polypod. ſemin. aniſ. foenicul. flor. ſambuc. chamoem. loco theae* interponere juvat. Quae omnia etiam proſunt, quando vaſorum et glandularum in primis viis anguſtia et obſtructio ſimul in culpa, uti fit in hypochondriacis, modo largior potus ſimul commendetur. Interdum vero ſolum tubulorum lacteorum in mammis obſtructio in culpa eſt; ubi, praeter priora reſolventia, etiam mammarum fomentationes emollientes ex *decoct. radic. alth. ſemin. cumin. lini flor. chamoem. ſambuci, croci et frictiones frequentes cum excutia,* multum proſunt.

THES. XXI. Interdum vero affluxus ille lactis in puerperis non promovendus, quin potius impediendus et avertendus eſt, quando, interveniente forte infantis morte, lactatione nihil opus, aut puerpera, ob impedimenta varia, eandem, alias ipſis a Conditore deſtinatam, detrectat. *Lactis imminuendi et abſumendi.*

detrectat. Atque tunc ſolum opus, ut ſerum illud ſive tenui victu, ſive laxantibus aliorſum derivetur et ſubtrahatur. Effectus etiam promoveri poteſt, quando ubera,interpoſitis *diſcutientibus ex abſynth. ſcord. ruth. geran. pimpinell. menth. ſale commun. camphora, ſem. cumin.* arctius quodammodo, ad tolerantiam, ſtringuntur, et per vices rurſus relaxantur, cum lactis, interea collecti et ſtagnantis, expreſſione, ne a retenti ejus corruptione exulceratio excitetur.

papillarum. THES. XXII. Tandem etiam non raro papillarum in mammis durities et fiſſurae lactantibus magnas incommoditates et dolores afferunt. Etenim papillae iſtae, tanquam faſciculi tubulorum lactiferorum, uti propter ſubſtantiam ſuam nervoſam exquiſite ſentiunt, et per blandam ſuctionem infantum non levem delectationem lactantibus afferunt, ita, quando a ſero lactis ſalſo, vel acri exſiccantur, eroduntur, aut plane exulcerantur, eo majorem quoque dolorem, imprimis inter ſuctiones, excitant. Opus igitur tum eſt, ut, praemiſſis univerſalibus alterantibus, antiſcorbuticis, evacuantibus, etiam externa dolorem lenientia et exſiccantia applicentur: Cui fini *pulveres ſubtiliſſimi e ſaccharo, amylo, bolo armena, liquiritia, maſtiche inſperſi, aut cum mucilagine ſemin. cydon. cremore lactis, ſucco pomorum in linimentum molliſſimum redacti*, inſerviunt. Atque haec erant ſymptomata potiora, quae imbellem alias foemineum ſexum, tempore ingravidationis, et partus affligere ſolent, ac proinde eo majorem omnino curam et circumſpectionem requirunt.

S. D. G.